



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1525. usque ad annum 1529

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1769

VD18 90118480

§. 32. Galli Aversam profugi, ibidemque a Cæsareis obsessi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66472](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66472)

§. XXXII.

Sæcul XVI.
A.C. 1528.*Galli Aversam profugi, ibidemque a
Cæsareis obsessi.*

Sub idem tempus Salutarum Marchio unacum Gallis, qui in nupera clade victorum gladios effugerant, in Aversana urbe salutis latebram quærebat; verum quantocius ibidem non modo a Cæsareis obsidione cinctus est, sed etiam, cum muri ruinam lustraret, suisque militibus animum addere niteretur, ex lapidis jactu grave vulnus dextro genu accepit. Cum autem hoc fato haud amplius gerendo exercitus Imperio idoneus esset, ne sui quoque milites vexilla desererent, vehementer pertimescebat; quocirca cum hoste de honestis deditiois conditionibus agere compellebatur, priusquam ad Cæsareos accepti vulneris fama emanaret. Igitur hunc in modum deditiois pacta perscribuntur. I. Obsessi cuncta arma, equos, ac vexilla Arausiae Principi supremo Cæsarei exercitus Duci relinquunt. II. Omnes Tribuni, locum-tenentes, Vexilliferi, Cataphracti, ac levioris armaturæ Equites nonnisi unicum equum ac mulum secum deferre permittentur. III. Italici per integrum trimestre Galliarum Regis stipendia mereri non lice-

*Mem. du Bel-
lay l. 3.*

F f 4

bit,

Sæcul. XVI.
A.C. 1528.

bit, Galli vero, Vascones, Helvetii, Germani pedites, ceterique milites ex-
teri in patriam suam secedent, nec ul-
lam stationem in Italia facere poterunt.
IV. Hos tamen Arausiae Princeps us-
que ad Provinciarum suarum fines sub-
tuto præsidio conducitur curabit, quin in
itinere molestia affici queant. V. Sa-
lutarum Marchio ceteras urbes, quas
Galli adhuc tenent, auctoritate sua com-
pellet, ut sese Principis Arausionensis
potestati tradant, ipse vero jure belli
captus Neapoli permanebit. Firmata
fuere hæc deditio die trigesima
Augusti. Post hæc Arausiae Prin-
ceps victor Averfam ingreditur, ibidem-
que Pomperanum, qui in urbe relinque-
batur, invisere voluit, quem tamen jam-
jam fatis functum repererat. Hic idem
est, qui olim seditione facta Borbonii
Ducis signa sequebatur, ac Franciscum I.
Galliarum Regem, cum in Papiensi prælio
captus erat, e vitæ periculo eripiebat.

§. XXXIII.

Excidium Gallici exercitus in Italia.

Capta urbe Melphitanus Princeps &
Renceus Cerius contractis copiis
Barulum, ac in alias urbes maritimas
sese receperunt, in quibus sese contra
omnes Cæsareorum insultus usque ad
Came-